



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati  
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos  
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati  
restituta, & indicibus locupletata

De Sanctis

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXX**

Quanta sit felicitas videre Deum, & de gaudijs cælestis patriæ,  
quibusq[ue] studijs eo pertingatur, Sermo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47060)

quid sit in nomine Iesu petere: Ipse Dominus paucis id verbis absoluit: *Petite, inquit, & accipietis, ut gaudium vestrum plenum sit.* Hoc est, ea duntaxat Ioan. 16. petite, quibus pertingatis ad conspectum & fruitionem Dei, qui solus plenum atque consummatum præstat gaudium. Cætera omnia, quæ extra illum peruntur, etsi aliquod adferunt gaudium, sed plenum non est. Animam summi boni capacem non perfecte exhilarat, quicquid summo bono minus est.

Ergo dilectissimi petamus in nomine Iesu, maxime quidem & ante omnia ipsum Deum & Dominum nostrum: deinde quæ nobis adminiculo esse queant, ut ad illum certius & expeditius pertingamus. Res temporales nunquam petamus importunè, sed confidamus Domino, qui ait: *Primum querite regnum Dei & iustitiam eius: & hæc omnia, puta vitæ agenda necessaria adquirentur vobis.* Matth. 6.

SERMO IN EODEM FESTO.

*Quanta sit felicitas videre Deum, & de gaudijs celestis patriæ, quibusque studijs eo pertingat.*

**D**omine, este de nobis Patrem, & sufficit nobis, Ioannis XIII. Dominus Deus noster Iesus Christus filij charissimi, grande ac immensum promittere dignatus est præmium servis suis ipsi perseverantibus, & fideliter ferventibus: & hoc est, ipsius Dei visio. Qui novit saltem utcumque quid sit Deus, facile sentit, quam excellens præmium sit, posse videre Deum. Carnalis autem & animalis homo, servus & mancipium voluptatum suarum ac immundorum dæmonum nihil movetur, nihil afficitur, dum audit promitti sibi visionem Dei. Quare? Quia densissimis vitiorum tenebris involutus, nescit oculos cordis attollere ad contemplandum, quid sit Deus. Itaque nec scire potest Deum. Quod autem quis ignorat, quid mirum si nec appetat? Et tamen videas homines alios ad quamlibet perdendam artem, alios ad cognoscendas rerum naturas, alios ad antiquitates & res occultas inuestigandas, alios item ad alia nedum friuola, sed sæpè etiam illicita ac turpia perspicienda omnem adhibere conatum: quorum tamen omnium cognitio non eos beatos efficit: Deum autem ut cognoscere velint, non possunt ullis rationibus induci. Est tamen, teste ipso Ioan. 17. Salvatore, hæc est vita æterna, vita beata, & summa beatitudo, ut cognoscamus verum Deum, & quem misit Iesum Christum. O homo, o creatura nobilis magni & præpotentis Dei, quid tibi & infimis hisceribus, ut illos anteponas cognitioni ac fruitioni Dei tui? Cur intantum viluit apud animum tuum Deus tuus, ut nihil sit penè, cuius obtinendi aut videnti minori tenearis desiderio? Esto, habeas omnia quæ sunt infra Deum, quid tibi proderunt sine Deo? Contra verò si nihil habeas nisi Deum, quid tibi deerit? Hoc est dilectissimi, quod merito etiam sanguineas possit exprimere lacrymas cunctis Deum amantibus, quod heu tanta mortales sermè omnes, etiam illos, qui Christianos & dici & haberi se volunt, Dei cepit oblitio & incuria. Heu effusi sumus in istas mundi vanitates, & ad origine nostrâ à Deo scilicet longissime aberravimus, & qui

Videodi Deū  
quoniam nullo desiderio  
teneantur.

Incuria &  
oblitio Dei  
quâtos quosque  
hodie teneat.

Hominum  
secularium  
studia quæ  
nā sunt pici-  
pua.

Mal. 6.

Mat. 64.  
1. Cor. 2.

Thren. 1.

Faciem Dei  
conficere  
quid sit.

Psal. 33.

Psal. 30.

Psal. 35.

Gaudia æter-  
næ beatitudi-  
nis quanta.  
Psal. 62.

manna cæli alendi essemus, stercorea charius amplectimur: quibus tandem adeo affuescimus, ut ipsa nos delectent, & manna fastidium sit. Totis animis affectibus ferimur in præsentibus oblectationes, nec volumus attendere, ut conditi simus. Totos dies ridemus, iocamur, ociamur, saltamus, garrimus, acquirendis rebus intenti sumus: & in his omnibus ita securi sumus, tanquam eorum causa facti simus. Clamat Deus in scripturis, clamat per contumacia, horrendaque flagella, clamat alijs multis modis, ut à mundi vanitatibus & oblectamentis animum reuocemus, & veram beatitudinem, quæ in Dei visione consistit, queramus & experemus, & nos semper aqua furdi manemus: quasi magna felicitas sit bonis ac delectationibus fruimur momentaneis, & ingens miseria, æternis inhiare delictis, & Domini faciem requirere cum Propheta, dicente: *Tibi dixit cor meum, exquisiuit te faciem tuam Domine requiram.* Videmus, & quotidiana discimus experientia, præterfluere cuncta vitæ huius vana gaudia, voluptates, delicias: & volumus nolimus sine vili interpolatione properare nos ad extremum diem, nec quicquam æquè nobis incertum est, atque is idem extremus dies. Videmus quoque tam multos in medio ætatis flore, in summa rerum felicitate subito è medio tolli, & rapi ad tribunal Christi. Videmus denique mundum ipsum indies deficere, & iam penè minari ruinam: & tamen, & rem miseram, non possumus ab his miserijs & fallacissimis somnijs animum atterere, & transferre amorem nostrum ad res semper mansuras, & ad ipsum Deum ac Dominum nostrum: quem si solum haberemus, iam nihil possemus desiderare amplius. *Oculus non vidit, ait quidam, nec auris audivit, nec cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* O quis excitabit frigidam nimium pectora nostra, ut dicamus ex omnibus animæ medullis cum Philippo: *Domine Iesu ostende nobis Patrem, & sufficit nobis?* Ipse est enim locus illud quod præparavit diligentibus se. Visio Dei est beatitudo nostra: Deum videamus, videndo amemus, amando fruamur, fruendo beati sumus. Eam enim ob rem conditi sumus. Sed vix Sion lugent, eo quod non sit, qui veniat ad solennitatem, nemo sit qui ad videndum Deum pergere velit. Quamobrem ut ad veram obrinendam felicitatem, quæ, ut diximus, in Dei clara visione consistit, animis accendamus, dicendum est aliquid de vitæ æternæ ineffabilibus gaudijs, & quanta sit beatitudo Dei faciem conspiceret: quod nihil est aliud, quam frui æterna beatitudine. Propheta regum, qui iam non nihil illius futuræ felicitatis degustarat, cupiens mortales omnes ad eius amorem incitare. *Gustate, inquit, & videte, quoniam si quis de vobis inquit, quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam absconditis in mentibus te. Perfecisti eis qui sperant in te.* Ac alibi: *Inebriabuntur ab ubertate luminum tuæ & torrente voluptatis tuæ potabit eos. Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen, id est, in lumine creato gloriæ, lumen increatum divinitatis, hoc est, Deum ipsum. Quem ubi viderimus, implebitur in bonis desiderium nostrum, & tanta nos totos in corpore & anima beatitudo peruet, penetrabit ac inundabit, ut nihil neque infra, neque supra, neque extra, neque intra, neque circum nos nisi omnigenarum affluentiam deliciarum, gaudiorum, tripudiorum, nihil nisi plenissimam ac certissimam omnium boni abundantiam percepturi simus.*

Beatorū ob-  
iectum quam  
sit perfectis-  
simum.

Quum enim sit Dominus Deus noster beatorum obiectum, in quod suos  
semper defigunt obrutus, idē visui pulcherrimum, sensui summe delectabi-  
le, gustui dulcissimum, & omnibus potentijs perfecte proportionatū & ac-  
commodatum sit, non poterūt non omni ex parte maximis gaudere bonis:  
præsertim cum eo accedat pactum certissimæ pollicitatio perpetuæ posses-  
sionis, qua fit ut nihil omnino metuendum sit sanctis ne quandoq̃ illa bo-  
na amittant, sed sint prorsus securi semper se illis felicissimè perfruituros.  
Quanto autem in hac mortali vita, quæ nihil nobis esse debet aliud, quam  
transitus ad patriam, singuli quicq̃ studiosius hic virtutibus excolendis, ac  
diuinæ exequendæ voluntati, omnigenisq̃ bonis actibus nauauerint ope-  
ram, tanto copiosius illis beatæ vitæ bonis & gaudijs inundabuntur, clari-  
usq̃ regem gloriæ in decore suo conspicient: cuius pulchritudinem sol & lu-  
na mirantur: qui est totius pulchritudinis fons: qui est pulchrū illud, à quo  
omnia pulchra fiunt, ut bene sentiunt Platonici, simul cum diuo Dionysio  
& Hierothæo, qui dicunt: Quod sicut vnumquodque dicitur bonum, quia  
participat de summo bono: & ens, quia participat de summo ente: Ita est  
pulchrum participatione primi pulchri, imo pulcherrimi Dei, qui ob su-  
am pulchritudinem obiectum, ut diximus, summè delectabile erit sensui  
interiori per diuinitatem: & exteriori per humanitatem assumptam, ut ip-  
semet Christus redemptor, merces & quies nostra ait: Ingredietur, scilicet,  
ad diuinitatem & egredietur ad humanitatem: & vobis in pascua inueni-  
et: pascua nimirum deliciosissimæ refectiois, sobriissimæ inebriationis,  
castissimæ voluptatis. Est namque etiam obiectum gustui dulce & suauē, ut  
D. Petrus ait: *Si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus.* & Sapiens quidam:  
*O quam bonus & suauis est Dominus spiritus tuus in omnibus.* Et sanctus David:  
*Suauis Dominus vniuersis.* Quamquam reuera quicquid hinc dici vel cogitari  
potest, nihil est ad rei veritatē. Dulcedo Domini Dei nostri nihil cum præ-  
sentis vitæ dulcedine communis habet, sed longe alia, imo incompræhen-  
sibilis est. Congere omnes species odoriferas, balsamum, cinnamomum &  
id genus alias, & quicquid vsipiam grati odoris est: & vbi cuncta hæc in v-  
num conflaueris, fetor potius, quam suauis odor dicenda erunt, si cum dul-  
cedine diuina componantur. Atque hæc ipsa suauitas toros nos intus & fo-  
ris occupabit, summaq̃ a lacrimate, fortitudine, robore ac incolumitate af-  
ficiet. Est deniq̃ etiam proportionatum & accommodatum omnibus po-  
tentijs, quamuis sua immensitate ac infinitate potentias omnes longè la-  
teq̃ excedat. Enimvero hoc excessu minimè corrumpit, nec affligit, sed tan-  
tum tribuit, quantum potentia recipientis est capax. Quæ autem ex propor-  
tione & conuenientia resultat delectatio & iucunditas, ea vtiq̃ gratissima  
est. At verò isthæc iucunditas, suauitas, gaudium, & felicitas nihil quodā-  
modo esset, nisi cum certa foret possidentis securitate coniuncta. Quam ob-  
rem ne quid dubitare possimus, benignissimus saluator certos nos reddere  
dignatus est, dicens discipulis suis, & consequenter omnibus: *Gaudete cor-  
vestrum. & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Nam si mirè affici solent homi-  
nes ad videndas res pulchras, gustandas suauēs, sonos tinnulos auribus hau-  
riendos atque id genus alia sensibus iucunda percipienda: quanta erit bea-  
tudo videre, gustare, sentire, frui Deo Optimo Maximo, qui est omne bo-  
num

Esaiæ 55.

Plato.  
S. Dionys. A-  
c opagita.

Ioan. 10.

Pet. 2.  
Sapient. 12.  
Psalm. 44.

Dulcedo  
Dei quæ om-  
nem excedat  
in infinitum  
dulcedoem.

Beatitudinē  
caelestem fo-  
re perpetuā.

Ioan. 16.

Exod. 31.

Psal. 15.

Psal. 104.

S. Dionysius  
martyr.Pulchritudo  
& bonitas  
Dei.

Esai. 64.

1. Cor. 2.

Perfectiones  
Dei uti sunt  
omni modis  
inhibita.

Math. 18.

Psal. 95.

Ciuitatis su-  
perioris pre-  
stantia ac fe-  
licitas quare.

August.

bonum & summum bonum, nihil accipiens aliunde: quia nullo bonorum nostrorum indiget: omnibus autem ipse potius largitur, ut bona sint, sicut Psalmista canit: Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate. Nam creaturæ omnes ex seipsis quidem non nisi merum nihil sunt, & quicquid habent boni, ex Deo promanant, tantumque sunt, quantum Deus se in eas diffundit. Et qui magis de Deo participat, melior utique censendus est, cum Deus sic ipsum verum bonum: & pulchrior est, cum Deus sit ipsa vera pulchritudo, vel pulchrum ipsum. Vnde etiam D. Dionysius, eo quod Deus est, inquit, substantiale bonum, ad omnia existentiæ extendit bonitatem suam, sicut Sol per suum esse illuminat omnia, quæ lumen eius participare possunt. Bonum igitur summum per ipsam essentiam suam omnibus existentibus, mensura quadam & proportionem mirabili immittit totius bonitatis radios. Idemque paulo inferius ait: Ipsum etenim pulcherrimum, & suprapulchrum semper, & ex omni parte existens, omnium pulchrorum est causa. Ex hoc itaque pulchro his quæ sunt omnibus prouenit, ut sint pro modo suo pulchra singula: efficiuntque pulchrum illud rerum omnium congruentias, & amicitias, ac societates. Et idem pulchrum est & bonum, quod cuncta desiderant, & quo omnia cognata sunt: quia nihil est in substantijs rerum, quod pulchri & boni non sit aliquatenus particeps.

Ex quibus dilectissimi filij colligi licet non posse non infinita animam illam affici voluptate, cui Deum videre Deoque frui conceditur: quandoquidem istæ res infimæ tantas sæpe adferunt voluptates, ut stulti homines ob eas capiendas libentissimè corpus, animam, bona, fortunamque omnes atque existimationem suam in mille pericula conijciant. Et tamen absque utrumque ista, tum alia quæcumque, quæ hinc scribi aut dici queant, putamus vlla ex parte rei veritati respondere. Cum enim, ut ante diximus, oculus non viderit, nec auris audierit, nec in cor hominis ascenderit quæ præparauit Deus diligentibus se, certum est quicquid inde verbis exprimi aut cogitatione comprehendere potest, longè esse infra rei magnitudinem.

Infinita prorsus est Domini Dei nostri pulchritudo, suauitas, bonitas, sapientia, iustitia, veritas, amabilitas, benignitas, maiestas, dignitas, præstantia, nobilitas, virtus, fortitudo, excellentia, omnipotentia, & quicquid potest cogitari de Deo: atque ita necesse est horum perspicua, stabilis, æterna contemplatio incomprehensibilem adferat voluptatem. O felices illos, quibus iam concessum est videre faciem Patris in caelis. O Hierusalem ciuitas sancta, quam gloriosa dicta sunt de te. Tu dulce refrigerium ab hoc molestissimo exilio reuertentium: tu quies sempiterna post labores miseræ vitæ huius emigrantium viatorum: tu corona vincenrium: tu paradysus deliciarum. In te lux in circumscripta viuens Dei immota acris conspicitur, & vultus Dei omnipotentis per seipsum præfens cernitur. In te abundat quicquid potest appeti, ut non immerito dixerit sanctus Augustinus: Tanta est pulchritudo summæ iustitiæ, tanta est iucunditas lucis æternæ: hoc est, incommutabilis veritatis ac increatæ sapientiæ, tanta est felicitas cælestis curiæ: ut etiam si non liceret ibi non nisi vnum manere diem, ob id

id solum innumerabiles anni vite huius diuitijs atque delitijs pleni, merito spernerentur. Et reuera charissimi sic se res habet. Omnipotens Deus pro sua magnificentia & liberalitate tot & tanta suis seruis præparauit bona in illa superna ciuitate, vt quicquid iste mundus sublunaris præstare possit, crux & tormentum iure habendum sit, & ex animo fastidiendum. Petrus Damianus in Hymno quodam pulcherrimè inter cætera sic ait:

Bona quæ  
quantaque  
cælestis præ-  
parata sunt  
in cælis.

Petrus Da-  
mianus.

Nam quis promat summæ pacis,  
Quanta sit lætitia  
Vbi viuus margaritis  
Surgunt ædificia,  
Auro celsa micant tecta,  
Radiant triclinia?  
Solis gemmis preciosis  
Hæc structura nectitur.  
Auro mundo tanquam vitro  
Vrbis via sternitur.  
Abest limus, deest firmus,  
Lues nulla cernitur.  
Hyems horrens, æstas torrens,  
Illic nunquam sæuiunt.  
Flos perpetuus rosarum,  
Ver agit perpetuum.  
Candent lilia, rubescit  
Crocus, sudat balsamum.  
Virent prata, vernant sata,  
Riuus mellis influunt.  
Pigmentorum spirat odor,  
Liquor & aromatum.  
Pendent poma floridorum  
Non lapsura nemorum.  
Non alternat luna vices,  
Sol vel cursus syderum.  
Agnus est felix vrbis

Lumen innociduum.  
Nam & sancti quicquid velut  
Sol præclarus rutilant.  
Et præsentem veritatis  
Contemplantur speciem.  
Hinc vitalem viui fontis  
Hauriunt dulcedinem.  
Inde statum semper idem  
Existendi capiunt.  
Clari, viuidi, iucundi,  
Nullis patent casibus.  
Absunt morbi semper sanis,  
Senectus iuuenibus.  
Inde virent, vigent, florent,  
Corruptela corruiunt.  
Auidi & semper pleni,  
Quod habent desiderant.  
Non sarietas fastidit,  
Neque fames cruciat.  
Inhiantes semper edunt,  
Et edentes inhiant.  
Novas semper harmonias  
Vox meloda concrepat,  
Et in iubilum prolata  
Mulcent aures organa.  
Felix cæli quæ præsentem  
Regem cernit anima.

Apoc. 21.

Et alius quidam loquens ad supernam Hierusalem: Sol tuus, ait, & claritas tua, & omne bonum tuum huius pulcherrimi regis indeficiens contemplatio, ipse rex regum in medio tui, & pueri eius in circuitu eius. Ibi hymnicorum angelorum chori, ibi societas supernorum civium. Plena & perfecta ibi regnat charitas: quia Deus est omnia in omnibus, quem sine fine videt, & sine fine semper videndo in eius amore ardent: amant & laudant, laudant & amant. Et diuus Augustinus: O vita, inquit, vitalis, dulcis & amabilis & semper memorabilis. Vbi summa securitas, vbi secura tranquillitas, vbi tranquilla iucunditas, vbi iucunda felicitas, vbi felix æternitas, vbi æterna beatitudo, vbi beata certitudo, vbi certa visio, & sine fine laudatio. Ibi affluentia diuitiarum, influentia deliciarum, & confluentia bonorum. Diuus quoque Bernardus: Merces, ait, sanctorum tam magna est, quod

1. Cor. 13.

August.  
Ciuitatis su-  
peræz feli-  
citas quanta

Bernad.

Merces iu-  
ctum quita  
est in calo.  
Augustia.

1. Cor. 15.

Gene. 32.  
Exod. 33.

Diabolus vt  
promittat lo-  
gorem vitā  
fallaciter.

Basilius.

Diabolus  
quam fallo-  
citer decipi-  
at temporis  
promissione  
longiora.

Creaturis  
quam sic cre-  
te vtendum.

non potest mensurari: tam multa, quod non potest numerari: tam copia-  
sa, quod non potest finire: tam preciosa, quod non potest aestimari. Denique  
Augustinus: Ibi, inquit, Deus videbitur sine fine, sine fastidio amabitur, si-  
ne defatigatione laudabitur. Ecce dilectissimi filij, quam merito diuus Phi-  
lippus Apostolus motus fuit petere à Domino Salvatore ac dicere: Domi-  
ne, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Hæc enim omnia iam dicta, lon-  
gèq; maiora habent quicumque Deum vident. Illis nanque Deus est omnia  
in omnibus. Ad hæc felicissimè fruenda & possidenda creati nos omnes su-  
mus. Quod cum ita se habeat, discamus obsecro totam vitam nostram hæc  
referre ac dirigere, vt isthæc obtinere mereamur, id est, vt Dominum De-  
um nostrum facie ad faciem videre digni efficiamur. Si aliud querimus,  
nihil, querimus. Ecce præsens vernum tempus quam gratum est vobis,  
quantopere sua amenitate vestros exhilarat animos. Si igitur sic delectat  
vmbra & somnium, quantum ipsa veritas delectationis habet! Sed etiam  
atque etiam videte obsecro, ne vmbra atque somnium ip̄n veritati præse-  
ratis. Solec nanque tartareus spiritus laqueos suos vbiq; expandere ac spar-  
gere super hæc res temporarias & vitæ oblectamenta: estq; vt libentius ca-  
piamus, semper crastinum promittit diem, donec tandem omnem eripiat  
salutis spem. Et vt Basilius Magnus ait, intelligens versipellis nos homines  
præsens libenter recipere tempus, omnemq; actionem humanam in præ-  
sens contendere atque spectare, hodiernum tempus nobis furatur astutus, &  
spem facit crastini. Postquam crastinum venerit, rursus malus diuisor se-  
bi hodiernum, crastinum verò Domino dari petit. Sic continuo diem de-  
die trahens, voluptate præsentis & spe frugis nostram subducit latentem vi-  
tam. Vidi ego, ait idem, iam aus astutus miram artem: cum pullos suos vi-  
deat adhuc ob debilitatem prædæ periculo expositos, sese aucupi ante illos  
vt prædæ paratam offerre, ita sese vertentem ac gestus dispensantem, vt nos  
periculo penitus aut manibus se præbeat, neque item insidiantis sp̄e omnino  
eripiat. Sic itaque illum inter vti unq; versando, occupando, in se retinendo,  
spatium dat nauis ociosè fugiendi. Ipsa ad extremum euolat. Vbi mox idē  
sanctus Episcopus subiungit: Caue igitur ne tu aucupi similia patiaris, certa  
pro incertis relinquens, spem firmam vana commutans. Hæc ille. Ita ni-  
mirum dilectissimi filij, caueamus insidias diaboli. In medijs versamur la-  
queis, & vbi que iniquus ille hamos suos, quibus nos capiat, abscondit. Quis-  
quid in hoc mundo sensibus plausibile est, fortiter contemnat, nisi qua-  
tenus aua corpori sustentando necessarium, aut ad placendum Deo, obte-  
nendamq; beatitudinem cōducibile est: alioqui si nos presentibus velimus  
dare oblectamenta, hamo suo diabolus capiet nos, & in mortis æternæ car-  
cerem secum pertrahet. Valeant creaturæ mortales omnes, vni Deo nos per  
amoreſm coniungamus, illiq; firmissimè adhaereamus, ne quid vel aduersum  
vel prosperū ab eo nos possit abungere. Semper & vbi que linguam frano  
quodam cohibeamus, sanctis meditationibus demus operam, sermones  
nostri parci sint, & non nisi de rebus salutiferis ac necessarijs, penitentiæ o-  
peribus nos affligamus: quicquid nobis Dominus Deus noster patienter  
imposuerit, hilariter excipiamus, aliorum vitia & defectus benignè tolera-  
mus, ac in meliorem partem interpretemur, quatenus recta dictabit ratio  
hominis

homines incompósitos ac improbos fugiamus, familiaritatem quorumlibet immodicam declinemus, sensibus semper inuigilemus, neque temporis, neque verborum plus satis cuiquam impendamus, nosipfos vbiq̄ & semper studiosè obseruemus, sub Deo cunctisq̄ mortalibus nosipfos comprimere ac demittere discamus, de cunctis fratribus ac proximis non nisi bene loquamur, nosipfos habeamus despectui, Deo iucundis animis seruiamus, proximis bona præbeamus exempla, peccata omnia & magna & parua vitemus, Deum in omnibus pro scopo habeamus, atque totum tempus cum Deo transigamus. Hisce studijs dignè & aptè efficiemur, qui faciem Patris nostri videamus in cælis, cui est omnis honor in secula seculorum, Amen.

DE FESTO INVENTIONIS S. CRVCIS  
require infra in festo Exaltationis eiusdem.

IN SOLENNITATE ASCENSIONIS DOMINI  
nostri Iesu Christi, Lectio Actuum Apostolorum. Cap. I.

**R**imum quidem sermonem feci de omnibus, d̄ Theophile, que cepit Iesus facere, & docere, vsque in diem qua præcipiens Apostolis, per Spiritum sanctum quos elegit, assumptus est. Quibus & præbuit seipsum viuum post passionem suam, in multis argumentis per dies quadraginta apprensus eis. & loquens de regno Dei. Et conuescens, præcepit eis, ab Hierosolymis ne discederent: sed expectarent promissionem Patris: quam audistis, inquit, per os meum. Quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies. Igitur qui conuenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Dixit autem eis: Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, que Pater posuit in sua potestate, sed accipietis virtutem superuentis Spiritus sancti in vos: & eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad ultimum terra. Et quum hac dixisset, videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumq̄ intuerentur in caelum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in caelum? Hic Iesus qui assumptus est a vobis in caelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in caelum.

PARAPHRASIS IN EANDEM LECTIONEM.

**A**scensionem Domini Saluatoris Lucas Euangelista graphicè describit, Luca 24 connectens videlicet historiam Actuum Apostolorum cum Euangelio suo, in cuius calce iam nonnihil eadem de re posuerat: sed in Actis diligentius prosequitur. Ait enim: Primum quidem sermonem, nempe in Euangelio meo, feci de omnibus, id est, præcipuis quibusdam, vel saltem

yy mul-